



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Sessio Quinta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

huiusmodi irreuerentiam & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

Item hæc sacrosancta Synodus statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

SESSIO QUINTA.
CELEBRATA DIE XVII.
MENSIS IUNII
M. D. XLVI.

Decretum de peccato originali.

VT fides nostra Catholica, a sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sui sinceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Christianus b omni vento doctrine circumferatur; cum c Serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiusque remedio non solum noua, sed vetera etiam dissidia excitauerit: Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus

in Spi-

in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, iam ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ iudicium, & cōsensum secuta, hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur, ac declarat.

Si quis a non consistetur, primum hominum Adam, cū mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseq; per offensam præuaricationis huiusmodi iram, & indignationem Dei, atq; idè mortem, quã antea illi comminatus b fuerat Deus, & cum morte captiuitatē sub ei⁹ potestate, c qui mortis deinde habuit imperiū, hoc est diaboli, totumq; Adam per illam præuaricationis offensam, secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.

2. Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini, asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quã perdidit, sibi soli, & nō nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortē & pœnas corporis tātum in omne genus humanum transfudisse, non autē & peccatum, quod mors est animæ: anathema sit. cū contradicat Apostolo dicenti: Per e vnum ho-

a Celest. 1.
ep. 1. c. 4.

b Gen. 3.
c Heb. 2.
Conc. A-
rausic. 2.
cap. 1.

d Rom. 5.
1. Cor. 5.
Conc. A-
rausic. 2.
cap. 1.

e Rom. 5.

c placuit,
c. regene-
rante, &
c. quæris
in fide
conf. dist.
4.
f. i. Tim. 2
Coloff. 1.
c. multi.
de pœn.
dist. 1.
1. Cor. 1.
Act. 4.
1. Ioan. 1.
c. nemo,
de conf.
dist. 4.
1. Gal. 3.
1. Concil.
Melui-
tan ca. 2.
Conc. A
fric. c. 77.
& c. pla-
cuit, de
conf. dist.
4.
1. Ro. 5.
c. placuit,
c. quæris,
in fi. &
c. regene-
rante de
conf. dist.
4.

ninem peccatum intravit in mundum, & per
peccatum mors: & ita in omnes homines mors
pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

3. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine v-
num est, & propagatione, non imitatione trās-
fusum omnibus, inest unicuique proprium, vel
per humane nature vires, vel per aliud reme-
dium asserit tolli, quā per meritum vnius me-
diatoris Domini nostri Iesu Christi, f qui nos
Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis
g iuditia, sanctificatio & redēptio; aut negat
ipsam Christi Iesu meritū per Baptismi sacra-
mentum in forma Ecclesie ritē collatum, tam
adultis, quā paruulis applicari; anathema sit:
quia non h est aliud nomē sub cælo datum ho-
minibus in quo oporteat nos saluos fieri, vnde
illa vox: Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit pec-
catū mundi. Et illa: k quicumque baptizati e-
stis Christam induistis.

4. Si quis paruulos recentes ab vteris matrum
baptizandos negant, etiā si fuerint à baptizatis
parētibus orti; aut dicit in remissione qui-
dem peccatorū eos baptizari, sed nihil ex Adā
trahere originalis peccati; quod regenerationis
lauacro necesse sit expiare ad vitā eternā con-
sequendam; vnde fit consequens, vt in eis for-
ma baptismatis in remissionē peccatorum, non
vera, sed falsa intelligatur: anathema sit: quo-
niā non aliter intelligendum est id quod dixit
Apostolus: n per vnum hominem peccatū in-

tra-

trauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt: nisi quē admodum Ecclesia Catholica ubiq; diffusa semper intellexit, propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorū in semet ipsis adhuc committere potuerūt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. n. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

s. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiā, q̄ in Baptismate cōfertur, reatū originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit nō tolli totū id, quod verū, & propriam peccati rationē habet, sed illud odicit tātū radi, aut nō amputari, anathema sit: in renatis. n. nihil odit Deus, quia p̄ nihil est damnationis ijs, qui verē q̄cōsepulti sunt cū Christo per Baptisma in mortē: qui x̄ non secundū carnem ambulant, sed, (vt iterem hominem exuentes, & t̄ nouū, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocētes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, ū heredes quidem Dei, cohæredes autē Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressū celi remoretur. Manere autē in baptizatis concupiscentiam, vel fomitē, hæc s̄ccta Synodus fatetur, & sentit: que cū ad x̄ agonē relicta sit, nocere nō cōsen. iētib. sed vtiliter per Christi Iesu

n Ioa. 3. c
filius &
c. non du-
bito de
conf. dist.
4. c. debi-
tum cum
seq. de
bapt.
o Ex c. 13.
lib. 1. cōt.
2. ep. Pel.
p Rom. 8.
q Rom. 6.
& c. pro-
prie de
confe.
dist. 4.
r Rom. 8.
f Colof. 3.
t Ephe. 4.
c. quomo-
do reno-
uari. de
p̄. dist. 2.
u Rom. 8.
Gal. 3.
x Ex cap.
vlt. lib. 1.
de pec-
mer. &
rem.

a Tim. 1.
b Rom. 6.
7. & 8.
Coloss. 3.

c Respi-
cit c. 13.
lib. 1. cōt.
2. epist.

Pelag. &
alios lo-
ros eius-
dem.

d in extr.
com. 1. 3.
de reliq.
& vener.

sanct. c. 2.
Graue ni-
mis.

Vide post
finem hu-
ius libri.
e Vide
Conc. La-
teran.

sub Inno.
3. ca. 11.

gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui
a legitime certauerit, coronabitur. Hanc con-
cupiscentiã, quã aliquando b Apostolus pecca-
tum appellat, sancta Synodus declarat Eccle-
siam Catholicam nunquam intellexisse peccatũ
appellari, quòd verè, & propiè in renatis pec-
catum sit, c sed quia ex peccato est & ad pec-
catum inclinat. Si quis autem contrarium
senserit; anathema sit.

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, nõ
esse sue intentionis, comprehendere in hoc de-
creto, vbi de peccato originali agitur, beatam
& immaculatam virginem Mariam, Deigeni-
tricem: sed obseruandas esse & cõstitutiones fe-
licis recordationis Xysti Papæ 4. sub pœnis in
eis constitutionibus contentis, quas innouat.

Decretum de reformatione.

CAPVT I.

EAdem Sacrosancta Synodus, pijs summorũ
Pontificum, & probatorum c Concil. con-
stitutionibus inherens, easq; amplectens, &
illis adiiciens: ne cœlestis ille sacrorum libro-
rum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa
liberalitate hominibus tradidit, neglectus ia-
ceat; statuit, & decreuit, quod in illis eccle-
sijs, in quibus præbendæ, aut præstimonium, seu
aliud quouis nomine nuncupatum stipendium
pro lectoribus sacræ Theologiæ deputatum re-
peritur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, &

ali-

alij locorum ordinarij eos, qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacre Scripturæ expositionē, & interpretationē per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutū ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & alijs locorum ordinarijs eligendum etiam per subtractionem fructuum cogant & cōpellant. De cetero verò præbenda, præstimonium, aut stipendium huiusmodi non nisi personis idoneis, & quæ per seipsos id munus explicare possint, cōferantur: & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida. In Ecclesijs autē Metropolitanis, vel Cathedralibus, si ciuitas insignis, vel populosa, ac etiā in collegiatis existentibus, in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium huiusmodi deputatū reperitur, præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatible iniunctum non sit, ad eum vsum ipso facto perpetuo cōstituta, & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesijs nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel episcopus ipse per assignationē fructuū alicuius simplicis beneficij eiusdem tamē debitis supportatis oneribus, vel per cōtributionē beneficiatorū suæ ciuitatis, & diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita prouideat, vt ipsa sacre

c. quia &
c. fin. de
magn. &
inf. Sess.
23. de re-
for. c. 18.

Infr. Sess.
24. cap. 15.
de refor.

a Concil.
 Constan-
 tinop. 6.
 cap. 5. cū
 alleg. à
 me in
 tract. de
 priu sch.
 pri. 88. c.
 1. & c.
 quia de
 mag. cōc.
 Later. sub
 Alex c. 18.
 sub Inn. 3.
 c. 11. & in-
 fra. Sess.
 23. c. 18. de
 reform.
 clem. ne
 in agro
 de stud.
 mon. c. 2.
 de mag.

Scripturæ lectio habeatur, ita tamen, ut que-
 cunq; aliæ lectiones, vel cōsuetudine, vel qua-
 vis alia ratione institutæ, propter id minimè
 præmittantur. Ecclesiæ vero, quarum annui
 proventus tennes fuerint, & ubi tā exigua est
 Cleri, & populi multitudo, ut Theologiæ lectio
 in eis cōmodè haberi nō possit, saltē a magistris
 habeant, ab Episcopo cum consilio Capituli eli-
 gendum qui Clericos, aliosq; scholares paupe-
 res grāmaticam gratis doceat; ut deinceps ad
 ipsa sacra Scripturæ studia, annuēte Deo, trās-
 ire possint, ideoq; illi magistro grāmatices vel
 alicuius simplicis beneficij fructus, quod tam-
 diu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit,
 assignentur; dū tamen beneficiū ipsum suo d-
 bito non fraudetur obsequio vel ex Capitulari,
 vel Episcopali mensa condigna aliqua merces
 persoluat: vel aliàs Episcopus ipse aliquā ra-
 tionem ineat sue Ecclesiæ, & diocesi accōmo-
 dam; ne pia hæc utilis, atq; fructuosa p. uisio
 quouis questio colore negligatur. In monaste-
 rijs quoq; monachorū, ubi cōmodè fieri queat,
 etiā lectio sacra Scripturæ habeatur, qua in re
 si Abbates negligentes fuerint, Episcop: locorū
 in hoc ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id
 opportunis remedijs cōpellant. In conuentibus
 verò aliorum regularium, in quibus studia cō-
 modè vigere possunt, sacra Scripturæ lectio si-
 militer habeatur: quæ lectio à capitulis genera-
 libus, vel puincialibus assignetur dignioribus

magistris. in Gymnasijs et publicis, ubi tam honorifica, et ceterorum omnium maximè necessaria lectio haecenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum, ac rerum publicarum pietate, et caritate ad Catholicæ fidei defensionem, et incrementum, sanæque doctrinæ cōseruationem, et propagationem instituatur: et, ubi instituta foret, et negligetur, restituatur. Et, ne sub specie pietatis impietas disseminetur; statuit eadē sancta Synodus, neminē ad huiusmodi lectionis officium tam publicè, quàm priuatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, et scientia examinatus, et approbatus non fuerit: quod tamē de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur. Docentes verò ipsam sacram Scripturam, dum publicè in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegijs omnibus de perceptione fructuum præbendarum, et beneficiorum suorum, in absentia à iure communi concessis, plenè gaudeant et fruantur.

C A P V T II.

Q Via verò Christiane Reipublicæ a non minus necessaria est prædicatio Euangelij quam lectio; et a hoc est præcipuum Episcoporum munus, statuit, et decreuit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Prælatos, et omnes alios ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum I E S V Christi

b c fi. de
mag. alle.
in meo
tract. de
priu. sch.
priu. 98.

a Infrà
Sess. 24. c.
4. de re-
form.
bii. To-
let. c. 3.

c Conc.
Late. sub
Inno. 3. c.
10. c. inter
cetera, de
off. iud.
ord. Vide
post finē
huius li.
d Conc.
Constan-
tinop. 6.
cap. 8. c.
exij § ha-
betur et-
iam de
ver. fig.
Cōc. Lat.
vlt. Sess.
II.

e Hier.
thr. 4.

Euangelium. Si verò contigerit Episcopos, & alios prædictos legitime detineri impedimētos iuxta formā c generalis Cōcilij viros idoneos assumere, teneantur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendū. Si quis autem hoc adimplere cōtempserit, districtæ subiacet ultioni, Archipresbyteri quoque Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, d diebus saltem Dominicis, & festis solennibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutari- bus verbis, docendo, quæ scire omnib. necessarium est ad salutem, annunciandoq; eis cū breuitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; vt penam eternam euadere, & celestē gloriā consequi valeant. Id verò si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exemptum se esse prætenderet; etiam si Ecclesiæ, quouis modo exēptæ dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra diocēsim existenti, forsità annexæ, vel vnitæ, modo re ipsa in diocēsi sint prouida pastoralis Episcoporum sollicitudo nō desit; ne illud impleatur: e Paruuli petierunt panē, & nō erat qui frangeret eis. Itaque vbi ab Episcopo moniti triū mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias, ad ipsius Episcopi ar-

si arbitrium cogantur, ita ut etiã, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persoluantur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.

Si quæ verò parochiales ecclesiæ reperiantur subiectæ monasterijs in nulla diœcesi existentibus, si Abbates, & regulares Prælati in prædictis negligētes fuerint, à Metropolitanis, in quorum provincijs diœceses ipsæ sitæ sunt, tãquã, quo ad hoc, Sedis Apostolicæ delegatis, cõpellantur. neque huius decreti executionem cõsuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, siue recursus impedire valeat, quousq; desuper à cõpetenti iudice, qui summarie, & sola facti veritate inspecta procedat, cognitum & decisum fuerit, a Regulares verò cuiuscunq; ordinis, nisi à suis Superiorib. de vita, morib. & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesijs suorum Ordinum, prædicare non possint: cū qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiãt. In ecclesijs verò quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiã suorum Superiorum b etiam Episcopi licentiã habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesijs non suorum ordinum nullo modo prædicare possint, ipsam autem licentiã gratis Episcopi concedant.

a Conc. Late. vlt. Sess. vlt. de modo præd.

b c. exco-
municamus. §.
quia verò
de hæres.
infr. Sess.
24. c. 4. de
refor.

Si verò, quod absit, prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicit. Quod si hereses prædicauerit; cõtra eum, secundũ iuris dispositionem, aut loci consuetudinẽ procedat, etiamsi prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio exemptum se esse prætenderet. quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tãquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, iustam ve de eis conquerendi occasionem habeat.

e Cõc. Later. sub Inno. 3. c. 62. c. cum ex eo de pœ. & rē. clem. ab usionib. eo tit. infra Sef. 21. de refor. cap. 9. c. vt officium s̄ compe. cen. de har. in 6.

Caueant præterea Episcopi, ne aliquem, vel eorum, qui cum sint nomine Regulares, extra claustra tamẽ, & obedientiã religionum suarum viuunt; vel Presbyterorum secularium, nisi ipsis noti sint, & morib. atq; doctrina probati, etiam quorũlibet priuilegiarum pretextu in sua ciuitate vel diœcesi prædicare permittãt, donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta Sedes Apostolica consulatur; à qua priuilegia huiusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio, ab indignis extorqueri verisimile non est.

Questores e verò eleemosynarii, qui etiam questuarij vulgò dicuntur, cuiuscunq; conditionis existant, nullo modo nec per se nec per alium prædicare præsumant; & cõtra facientes ab Episcopis, & ordinarijs locorum, priuileg.

qui

quibuscumque non obstantibus, opportunis remedijs omnino arceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

Item hæc sacrosancta Synodus statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse die Iouis, feria quinta post festum B. Iacobi Apostoli.

Prorogata deinde fuit Sessio ad diem 13. mensis Ianuarij 1547.

SESSIO SEXTA,
CELEBRATA DIE XIII.
MENSIS IANVARIJ
M. D. XLVII.

Decretum de iustificatione.

PROOEMIUM.

Cum hoc tempore, non sine multarum Animarum iactura, & graui Ecclesiasticæ vnitatis detrimento, erronea quedam disseminata sit de iustificatione doctrina; ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, & Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ tertij, Reuerendissimis Dominis, Domino

Ioan-